



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||

Grégoire, Pierre

[Frankfurt], 1595

VD16 G 2996

6 De sacramentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

epistol. 27. Religionem imperare non A
possumus, quia nemo cogitur, ut credat
inuitus. *Et rursus apud eundem Cassio-*
dorum. libr. 10. episto. 26. Iustiniano Im-
peratori Theobaldus Rex, Cū diuinitas
multas patiatur religiones esse, non v-
nā audemus imperare: retinemus enim
legisse, voluntarie esse sacrificandum.

h *Dicto can. de Iudais, 45. distinkt. & dicto*
can. ad fidem, 23. quest. in 5. vide qua di-
cemus infra Deo fauente lib. 2. tit. 5. de Iu-
dais & paganis.

CAPVT VIII.

1 De Scopo & sine fidei & effectu.

2 Supplet baptismum, dat robur.

1 **F**idei finis est, † salus credenti. *a* verum
illa est fides intelligenda, quæ spem &
caritatem operatur: *b* hæc vnitas fidei
innumeros populos contegit, quos intus
diuersitas meritorum tenet: *c* omnia pur-
gat, *d* procellas militaris Ecclesiæ superat,
e Rempublicam magis quam sudores cor-
porales gubernat, *f* vbi sana fides non est,
non potest esse iustitia vera: *g* cum & sine
fide, falsa sit virtus etiam in optimis mo-
ribus. *h*

2 Fides supplet, † quando Baptismus vel
aliud Sacramentum haberi non potest, *i*
hac resistimus diabolo, *k* petimus & acci-
pimus a Deo, *l* hanc omnes Christiani te-
nentur defendere. *m*

SCHOLIA.

c Qui crediderit & baptisatus fuerit, sal-
uus erit: qui vero non crediderit, con-
demnabitur. *Diui Marci. cap. 16. vers.*
6. Actor. 16. vers. 1. Crede in Dominum
I E S V M, & saluus eris. facit can. ad Ro-
man. 10. vers. 10. Corde creditur ad in-
firmam, ore fit confessio ad salutem: & 1.
Petr. 2. vers. 6. qui crediderit in eum,
non confundetur. & capit. 11. Diui Io-
annis. vers. 25. Dixit dominus I E S V S.
Ego sum resurrectio & vita, qui credi-
derit in me, etiam si mortuus fuerit, vi-

uet: & omnis qui viuut & credit in me,
non morietur in æternum. & Actor. 10.
hinc omnes profectæ, &c. & ad Galat.
3. vers. 8. & Diui Ioannis. cap. 3. vers.
15. Vide Concilium Tridentinum. sessio.
6. cap. 7. & 8. vbi fides dicitur salutis ini-
tium, & radix iustificationis. Marti-
num Azpilcuetam Nauarrum in Ma-
nuali confessorum. cap. 11. nu. 17.

b *Ad Galatas 5. versu. 6. Diui Iacob. capit.*
vers. 2. 24. can. Circuncisio, & ca. firmum,
de Pœnitent. distin. 2.

c *ca. sit rector, in medio, 43. distin.*

d *ca. final. 15. questione fin. can. si Petrus,*
24. quest. 1.

e *ca. non turbatur, 24. quest. 1.*

f *Vide luculenter, ca. in qualibet, 23. qua-*
stione 8.

g *Quia iustus ex fide uiuit. can. vbi sana,*
24. q. 1.

h *ca. omnes, 28. q. 1.*

i *ca. Baptismi, de Consecrat. distin. 4.*

k *1. Petri. ca. 5.*

l *Diui Matthæi. cap. 21. vers. 22.*

m *can. nos. & ca. vbi nam, 96. dist.*

DE SACRAMENTIS.

TITVLVS SEXTVS.

CAPVT I.

Continuatio. sacramentorumque nouæ
legis vis.

Quia per Sacramenta nouæ legis o-
mnis vera iustitia, vel incipit, vel cœ-
pta augetur, vel amissa reparatur, *a* & quia
Sacramenta non sunt superflua, sed ad sa-
lurem necessaria: *b* inter ea, quæ in fide
Christiana consideranda sunt, ea quoque
pertractabimus secundum iuris Pontificii
exigentiam, remissis lectoribus in aliis ad
sacræ Theologiæ interpretes. *c*

SCHOLIA.

a *In Concilio Tridentino. sessione 7. in proœ-*
mio. Notat Ioannes Gerſo. in 2. parte ope-
rum,

ruus, in compendio Theologia de septē Sa-
cramentis ex Hugone, quod Sacramenta
noua & veteris legis habent triplicem dif-
ferentiam. Primo, quod nostra Sacra-
menta sunt immediate signa gratia: illa
non. Secundo, quod nostra Sacramenta
sunt signa & causa, illa vero sunt signa
tantum. Tertio, quod Sacramenta veteris
legis promittebant tantum gratiam, quam
non continebant: nostra dant gratiam quam
continent.

b Eod. Concilio & session. cap. 4. & 5. quo-
modo Sacramenta ut medicina in Ecce-
lesia sint necessaria. Vide D. Thom. 3. parte,
q. 61. Vignarium, in institutionib. Theo-
logicis, cap. 16. vers. 9.

c Tractarunt maxime in 4. librum magistri
sententiarum & ex canonistis Nicolaus
Plouius & Stephanus de Caieta Neapoli-
tanus, in repetition. cap. ad limina, 30.
question. 1.

CAPVT II.

Quid Sacramentum.

Sacramentum nouæ legis, est inuisibi-
lis gratiæ visibilis forma. a.

SCHOLIA.

a cap. Sacramentum, 32. de Consecration.
distin. 2. & lib. 4. Sentent. patrum, dist.
1. & 8. quæ finitio constata videtur, ex tri-
bus locis. Diui Augustini primus est in
decimo de Civitate Dei. ca. 5. Vbi ait: Sa-
crificium ergo visibile, inuisibile sacri-
ficii Sacramentum, id est, sacrum signū
est. Secundus locus, ex libro de Gatechi-
sands rudibus, c. 20. vbi ait: De Sacra-
mento sane quod accepit, cum ei bene
commendatum fuerit, signacula qui-
dem rerum diuinarum esse visibilia,
sed res ipsas inuisibiles in eis honorari.
E
Tertius est, ex epistola eius, 66. Vbi, si au-
tem malus est, operatur per illum De-
us visibilem Sacramenti formam, ipse
autē dat inuisibilem gratiam. Quid au-
tem signum sit definit idem, lib. 2. de Do-

ctrina Christiana. Signum est res prater
speciem, quam ingerit sensibus, aliud faci-
ens ex se in cognitionem venire. Refertur
in ca. signum, 33. de Consecration. distin-
ction. 2. Iuo etiam testatur parte 2. capit.
8. & can. multi secularium, 84. distinc-
tione. Gregorius ait: Sacramentum vero est
in aliqua celebratione, cum res gestata
fit, ut aliquid sanctificare accipiamus:
quod sancte accipiendum est. Sunt au-
tem Sacramenta, Baptisma, Chrisma,
corpus & sanguis Christi, quæ ob id Sa-
cramenta dicuntur, quia sub tegumen-
to corporalium rerum diuina virtus se-
cretius salutem eorundem Sacramen-
torum operatur: vnde a secretis virtuti-
bus vel sacris, Sacramenta dicuntur, &c.
Hugo vero de Sancto Victore lib. 6. de Sa-
cramentis, parte 9. capit. 2. ait: Sacramen-
tum esse materiale elementum extrin-
secus oculis suppositum, ex institutione
figurans: ex similitudine representans;
& ex sanctificatione aliquam gratiam inui-
sibilem continens. Porro dixit, Sacramentum
nouæ legis, ut appareat nos loqui de Sacra-
mentis eius, non de antiquæ legis Sacramen-
tis, quæ a nostris differunt, ut docetur in
lib. 4. Sententiarum distinctio. 4. & sequent.
Exstat can. 2. session. 7. Concilii Tridenti-
ni. In hac verba: Si quis dixerit ea ipsa
nouæ legis Sacramenta a Sacramentis
antiquæ legis non differre, nisi quæ ce-
rimoniarum sunt alia & alii ritus externi,
Anathema sit. Porro hic omittimus alias
finitiones vel descriptiones Sacramenti: cō-
tenti enim illa sumus intellecta secundum
intentionem Ecclesie. Si quis tamen velit
latiorem, poterit Hugonis referre, quam
ponit, lib. 1. parte 9. cap. 2. Sacramentum
(inquit) est corporale & materiale ele-
mentum foris sensibiliter propositum, ex si-
militudine representans, & ex institutio-
ne significans, & ex sanctificatione conti-
nens aliquam inuisibilem & spiritualem
gratiam. Et his duabus erit contentus iu-
ro iuris Pontificii finitionibus, quæ recepta

sunt: quamquam aliqui dixerint, non posse A
Sacramentum quid sit definiri, ut Okam,
Iohannes Maior, Ricardus: in 4. sententiar.
cap. 1. Difficiliora autem reuicimus de Sa-
cramētis ad Theologos, quorum proprium
est de illis tractare, ut num definitio Sa-
cramenti uniuoce conveniat Sacramentis
legis veteris & noua. In quo sunt & dua
sententia interpretum sacrorum, ut pote-
ris videre in predictum lib. 4. sententia-
rum, distinctio. 1. Albertum, Thomam, B
Bonauenturam, Dominicum Soto &
alios.

CAPVT III.

- 1 Quod sunt Sacramenta noua legis septem.
- 2 Tria characterē indelebilem imprimunt.

SACRAMENTA noue legis, septem
sunt: Baptismus, Confirmatio, Euchari-
stia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Matri-
monium, Sacer Ordo. a De quibus post-
ea suo loco, Deo fauente, dicemus latius. C
2 Horum tria imprimunt characterem
in anima indelebilem, hoc est, signū quod-
dam spirituale & indelebile, unde ea itera-
ri non possunt, Baptismus, Confirmatio,
Ordo: b Alia indelebilem non imprimunt,
& ideo iterari possunt. c.

SCHOLIA.

2 Sic resoluit sancta Catholica Ecclesia, in D
Concilio Tridentino, session. 7. canon. 2. ex
Concilio Florentino, ex decretis Eugenii
ad Armenos. Heretici dissident. Quidam
enim duo, quidam tria, quidam pauciora
vel plura contra definitionem Ecclesie po-
nunt. Et qui duo ponunt, asserunt tan-
tum Baptismum & Eucharistiam: cum
tamen sacri patres & de aliis meminerint,
ut de illis duobus, ut suis locis singula de-
monstrabuntur, ut & Cyprianus meminit E
de Vnctione, lib. 1. epistola 12. & ibi et-
iam de remissione peccatorum & pœnitentia,
ut Terullian. lib. de Pœnitentia. Hiero-
nymus contra Luciferianos, Leo Ma-
gnus epistola 90. D. Augustinus epistola

118. ad Ianuarium, Baptismum & Eu-
charistiam agnoscit. & lib. 5. contra Do-
natistas, ca. 20. Confirmationem. & lib. 2.
contra epistolam Parmeniani, c. 13. lo-
quitur de sacris ordinibus, conferens illos
Baptismo. Omitto reliquos Sacros de aliis
interpretes.

b In Concilio Tridentino, session. 7. cano. 9.
& sessio. 23. cap. 4. ex decretis Eugenii in
Concilio Florentino. Vide de his & Ange-
lum Clauasium, in summa ad verbum
Character, & in lib. 4. Magistri senten-
tiarum distinctio. 6. questio. 1. 2. 3. 4.
& 5. Character est quedam spiritalis
qualitas anime, que significat gratiā gra-
tiam facientem, disponit que ad eandem,
habens aliquam similitudinem cum gra-
tia, que est similitudo Dei, unde omnes cō-
figuratur Deo, & distinguit ab his, qui iam
sunt de grege Domini, ut ait predicto loco
Angelus in summa. Quae sunt ordinis sacri
cuiuscumque semper remanent, ut sacer-
dos episcopus ordinatus, &c. nec possunt ita
ordinati priuari. In quo conuincitur anti-
quorum quorundam etiam magnorum
virorum error, qui tempore Cypriani Mari-
tyris in Africa, sedente Concilio Roma de-
cebant, Schismaticos, Hereticos & Exco-
municatos, deiori ab omni gradu, dignita-
te & ordine, ut neque sacerdotes remane-
rent, nec Episcopalem retinerent episcopi
ordinem, nec Diaconi Diaconatum, & sic
de similibus, nec possent baptizare, & ba-
ptisarentur ab illis baptisati, non consecra-
rent, non ordinarent, & totum ab istis fa-
ctum dicerent iterandum: non darent spi-
ritum Sanctum, quem non haberent; de
quibus disputatur, & referuntur plures
sententia in 4. sententiarum, distinct. 25.
& in distinctio. 13. eiusdem libri, ubi Ma-
gister sententiarum non tenetur ab aliis
Scholasticis, & in cap. Arrianos, 73. cum
sequentibus, 1. questio. 1. Cyprian. episto-
la contra Parmenionem, & c. si quis in-
quit, eadem 1. quest. 1. D. Augustinus lib.
2. contra epistolam Parmenionis, cap. 13.
1076.

tomo, 7. Et pro omnium sententiarum A
 Concordia Joannes Gerson in 1. parte ope-
 rum, tractat. de conferebilitate Papæ ab
 Ecclesia, consideratione 13. ait duplicem
 adhibendam distinctionem. prima, episco-
 pus Hæreticus aut degradatus ab Ecclesia,
 aut intendit dare Et facere conformiter
 ad intentionem Ecclesia, vel baptizat, vel
 consecrat, vel ordinat, vel confirmat, ma-
 teriam insuper Et formam debitas obser-
 uat: aut defecit in aliquo istorum: intentio-
 ne videlicet corrupta Et erronea, vel in
 materia vel forma. De primo casu intelli-
 git Divus Augustinus Et Ecclesia, ut illi
 consecrent, baptizent, etsi depositi Et Hæ-
 retici aut Schismatici. In secundo casu de
 his, qui deficiunt, alii intelligunt dicentes,
 quod sacerdotes Hæretici nihil agant, qua-
 les erant plurimi hæreticorum antiquitus,
 ut Arriani Et errantes in ipsa substantia
 sacramentorum. Constituitur rursus aliam C
 distinctionem de efficacia sacramentorum
 collatorum ab indignis sacerdotibus Et
 hæreticis: de efficacia vel quoad utilita-
 tem, vel quoad veritatem: ratione quippe
 utilitatis dicuntur nulla, quia non pro-
 sunt facientibus, neque scienter recipienti-
 bus: sed potius obsunt, quod pertinet vero
 ad veritatem consecrationis sacerdotum
 hæreticorum more Ecclesia facte Et inten-
 tione habent efficaciam Et veritatem. D
 Sacramenta que non imprimunt chara-
 cterem, iterari possunt, que imprimunt,
 non possunt, in can. 1. 2. 3. sub 68. distin-
 ction. capit. et si illa, 23. §. breuiter, cum 12.
 sequentibus. 1. question. 7. ubi id ipsum ex-
 plicatur Et distinguitur. Et cap. licet, 32.
 quest. 7. cano. quod quidam, 1. quest. 1.
 cap. sacramenta, 34. ea. di. 1. questio. 1. Si
 quid autem in sacramentis que non ite-
 rantur ommissum sit, illud quod ommissum est E
 sine iteratione reliquorum suppletur, ca-
 pit. 1. 2. 3. de Sacramen. non iteran. lib. 1.
 tit. 16. facti, cap. qui vis, de Consecration.
 distinction. 4. Quod si etiam dubitetur
 num Sacramentum, quod iterabile non

est, collatum fuerit, non dicetur iteratum
 dum conferetur. cap. si nulla, de Consec. di-
 stinct. 4. cap. veniens, de Presbytero non ba-
 ptiza. Minstra. lib. 3. titulo 43. Iterantur
 Sacramenta, Eucharistia, can. quotidie, c.
 si non frequentius, de Consecr. distinct. 2.
 Extrema unctionis, Hostiens. ad tit. de Sa-
 cramen. non iterandis, c. Et qua sunt. Pœ-
 nitentia, priuata scilicet, cap. omnis, de Pœ-
 nitent. Et remissio, non publica, can. in ca-
 pite 50. distinct. Matrimonium, cap. pe-
 nu. Et fin. Et toto titulo de Secun. nup. ite-
 ratio tamen matrimonii intelligitur alie-
 ro ex coniugibus mortuo, non viuente u-
 troque.

CAPVT IIII.

I. Que adsunt in Sacramento.

SACRAMENTUM quatuor exigit, pri-
 mo, elementum seu debitam mate-
 riam; Secundo formam verborum; a Ter-
 tio ministrum accommodum. b Quarto
 intentionem ministrantis. c.

SCHOLIA.

- a Elementum, est res, ex qua Sacramentum
 fit, ut aqua in baptismo: vinum Et panis in
 Eucharistia, Et c. Verba habent formam
 distinguentem quod fiat, ut in baptismo
 forma, Ego te baptizo in nomine Patris
 & Filii, & Spiritus sancti. In Eucharistia,
 hoc est corpus meum, &c. cap. detrahe,
 1. question. 1.
 b Quædam Sacramenta habent ministrum
 suo ministerio accommodum, ut postea li-
 quebit ex explicatione singulorum. Et ita
 in Concl. Tridentino, sessio. 7. can. 10. Si
 quis dixerit Christianos omnes, in ver-
 bo Et omnibus Sacramentis admini-
 strandis habere potestatem, anathema
 sit. Vide Concilium Carthaginense, 4. ca-
 pit. 98. Veluti non potest Ordo sacer, aut
 Confirmatio conferri, præterquam ab epi-
 scopo, vel ab habente potestatem episco-
 palem. capite Abbates, de Priuileg.
 in Sexio. Vide Et Glossam distinguen-
 tem in capitul. 1. 79. distinctione capitul.

cum contingat, de *Etate*. & *qualis*. & *A*
ibi de Ordinatione. De confirmatione ve-
 ro, in cap. de his, cum 2. sequentibus, de
 Consecration. distinction. 5. capi. quanto,
 de Consuetud. Habent Eucharistia, pœni-
 tentia, extrema unctio, proprium ministrū
 presbyterum. de Eucharistia in capi. per-
 lecto, 25. distinction. capit. firmiter, §. una,
 de Summa Trinita. De pœnitentia vero
 distinguunt an sit publica vel priuata; Pu-
 blica namque seu solemnis, imponetur tā-
 tum ab episcopo, de qua in dict. ca. in capi-
 te, 50. distinc. c. Abbatibus, de Excessibus
 pralator. Alia vero, siue fiat in facie Ec-
 clesie, vel alio modo, potest imponi a sacer-
 dote alio quam episcopo, confessionem au-
 diente. Goffredus, Hostiensis, & alii, ad
 can. pœnitentes, 50. distinction. ca. omnes,
 utriusque sexus, de Pœnitent. & remis. cū
 similib. Baptismus in casu necessitatis, non
 habet specialem ministrum, si discrimē vi-
 ta baptisandi immineat, dum sacerdos ex-
 pectatur. ca. in necessitate, & can. cumq.,
 de Consecration. distinction. 4. cap. super
 quibus, 30. quæstion. 2. Extra necessitatē,
 habet proprium parochum presbyterum
 pro ministro, c. 1. de Cleric. non ordina.
 ministranti. Sacramentum porro matri-
 monii, cum consistat in consensu viri &
 mulieris, ex necessitate non habet ministrū
 proprium: tamē propter solemnitatē, ha-
 bet sacerdotem. ca. cum inhibitiō, de Clau-
 destina desponsat. Omnibus commune est
 Sacramentis, peccata & malitiam mini-
 strorum, quibus data est potestas, tractan-
 di & concedendi Sacramenta, nihil obesse
 sanctitati & puritati Sacramentorū, que
 non polluantur per ministrorum vitam, c.
 Sodomita, 37. & cano. remissionem, in §. 1.
 ubi pulcherrime adduntur rationes, 1.
 quæstio. 1. Non enim meritum Sacramē-
 torum ex persona ministrantium, sed a
 virtute pendet diuina, ut docetur in can.
 multa, ca. ita sit, c. quatuor, ca. non nocet, c.
 non ne, 1. quæst. 1. Et quādiu tolerantur
 ministri ab Ecclesia, tandiū ab illis possunt

accipi Sacramenta, ca. vestra. 7. de coha-
 bitatio clericor. & mul. lib. 3. tit. 2. can. o-
 mnia, ca. nulli, ca. per Esaiam. 1. quæst. 1.
 c. fin. 15. quæst. fin. Ab hereticis tamen,
 quos vere scimus esse hereticos, nō sunt ac-
 cipienda. ca. final. 24. quæstion. fin. Si tamē
 ab illis dentur in forma Ecclesie Catho-
 licæ, virtute non carent, c. secundum, 19.
 distinctio. canon. si autem, cum tribus se-
 quentibus, c. sicut, ca. quod pio, 1. quæstion.
 1. Contrarium, si non dentur in forma Ec-
 clesie Catholice, ca. qui. §. sed notandum,
 1. quæst. 1. Quamobrem Sacramentum
 in forma Ecclesie datum, iterandum non
 esse: verum virtus sacramenti dabitur per
 manus impositionem eorum, qui heretici
 non sunt. vide distinctiones in c. prater
 hoc, §. porro, 32. distinct. Ab excommuni-
 cato quoque collata Sacramenta vim ha-
 bent, quamuis peccet, qui ea in eo statu con-
 fert. c. si celebra, de cleric. excommu. mi-
 nistran. In Concil. Tridentin. session. 7. ca-
 non. 12. Si quis (inquit) dixerit, ministrū
 in peccato mortali existentem, modo
 omnia essentialia, quæ ad Sacramentū
 conficiendum aut conferendum per-
 tinent, seruauerit, non cōficere aut non
 conferre Sacramentum, anathema sit.
 Et in titulo de Baptismo, in eadem session.
 cap. 4. & in session. 14. titulo de Ministro
 huius Sacramenti & absolutione, cap. 6.
 Sic negatur Sacramenta vera esse apud
 hereticos non quantum ad formam, sed
 quantum ad virtutem, ca. omnes, 14. §.
 item. cum dicitur, 28. quæst. 1. Vide hoc ex-
 plicatum, in ca. quod quidam, 97. sub 1.
 q. 1. §. verum, 32. distinct. c. cum renun-
 tiatur, 32. quæst. 1. ca. quamuis, de conse-
 cration. distinctio. 4.
 Intentio esse debet, ut qui confert Sacramē-
 ta, intendat illa conferre, & ad eum finē,
 quo instituta sunt, conferat: non loco, non
 per irrisionem vel contemtum: & cum in-
 tentione Sacramenti, verba Sacramenti
 pronuntiet. Quod Innocentius late expli-
 cat, ad c. 1. de Baptismo. facit, q. de trabe,
 qua. 1.

que. 1. & Concilium Tridentinum session. A
7. de Sacramentis, ca. 11. Si quis (inquit)
dixerit, in ministris, dum Sacramenta
conficiunt & conferunt, non requiri
intentionem, saltem faciendi quod fa-
cit Ecclesia, anathema sit. Id etiam ex
diuo Augustino, translatum in cap. solet
etiam queri, 3. de Consecration. distin-
ction. 4.

CAPVT V.

1 A quo instituta Sacramenta.

1 S I quis dixerit Sacramenta nouæ legis,
non fuisse omnia a IESU CHRISTO
Domino nostro instituta, anathema sit. a

SCHOLIA.

a Verba hæc ponuntur in Synodo Tridenti-
na sessio. 7. ca. 1. & in Concil. Florentino in
decretis Eugenio ad Armenos. & in sum-
ma, baptisma institutum. D. Matthæi
ca. 28. Confirmatio promissa a Christo in
die Ascensionis eius, Diui. Luc. cap. 24.
Instituta die Pentecostes, Actor. 1. Sacra-
mentum corporis Christi institutum, DD.
Matthæi c. 26. Marci c. 14. Luca 22. ad
Corinth. c. 11. Sacramentum Pœnitentia
vel absolutionis institutum, D. Matthæi,
c. 16. & 18. & Diui Iohan. Euang. cap.
20. de Sacramento ordinis agit D. Paul.
ad Ephesios, c. 4. Diuus Matth. c. 26. D.
D. Marcus, cap. 10. & 14. D. Lucas, cap.
9. 10. & 22. Sacramentum matrimonii
liquet, ex c. 19. D. Matthæi: vnctionis ve-
ro extrema ex epistola Diui Iacob. cap. 5.

CAPVT VI.

De forma concedendi Sacramenta.

Sacramenta vna & eadem forma vbi-
que administrari debent, ne fiat schisma
in Ecclesia. a.

SCHOLIA.

a Cyprianus Epistola 8. lib. 4. Diuus Au-
gustinus de Ecclesiasticis dogmatibus, c.
30. facit, c. fin. 11. dist.

CAPVT VII.

1 Quibus, & qua necessaria sunt Sacramen-
ta, & qua necessitatis & voluntatis.
2 Num apud hæreticos.

O MNIA Sacramenta sunt quidem ad
statum vniuersalem Ecclesiæ necessa-
ria; a Baptismus introeuntibus Ecclesi-
am; b Confirmatio ad robur pugnantium;
Eucharistia ad viaticum progredientium;
c Pœnitentia, pro redeuntibus vel respici-
entibus; d extrema vnctio, exeuntibus
ab hoc seculo; e ordo diuinis & seruienti-
bus; f Matrimonium, generantibus; g Ra-
tione vero singularium personarum Chri-
stianorum, quædam dicuntur singulis Chri-
stianis necessaria seu necessitatis; h quæ
sunt de præcepto: & tenetur quilibet
Christianus ea recipere certo loco & tẽ-
pore, i quæ non possunt prætermitti si de-
tur tempus, ex contemptu, k sine detrimen-
to salutis æternæ. Qualia sunt Baptismus,
l Confirmatio m, Eucharistia, n Extrema
vnctio, o Pœnitentia, p Quæ nihilominus
quantumuis necessaria, tamen temere nõ
dantur omnibus, veluti impœnitentibus
q, nec mox a grauioribus peccatis rede-
untibus, r acephalis, s excommunicatis.
t Alia porro sunt Sacramenta voluntatis,
quia ea Christianus si velit, potest accipe-
re, nõ tamẽ cogitur: qualia Ordo: v & Ma-
trimonium. x Apud Hæreticos negantur
esse Sacramenta vera; non quidem quan-
tum ad formam, sed quantum ad virtutem y.

SCHOLIA.

a In Concil. Trident. session. 7. cap. 4. sunt co-
lumna ista septem, quas sibi sapientia in
domo sua excidit.
b ca. nulla præter, § porro, de Consecratio. di-
stinct. 4.
c ca. vnic. § per famulos, de Sacra vnctione,
can. Spiritus sanctus, de Consecration. di-
stinct. 5.
d c. qui recedunt, & c. de his, 26. quæstion. 6.
e c. his qui, 26. quæst. 7. c. 2. §. 2. de Pœnit. di-
stinct. 3.

F

f ca. ab infernis, 26 quaestione septima.

g ca. clericos, 21. dist.

h ca. omne bonum, 27. quest. 7.

i Probatur diuisio Sacramentorum, in necessaria & voluntaria. in c. veniens, 8. & ibi Gloss. de Transact. Dignitatis qua non sunt necessitatis, dixit, ca. remissionem, 39. §. sed notandum. 1. quest. 1. ubi Glos. tractat. de singulis Sacramentis necessitatis & voluntatis, seu dignitatis.

k In summa Rosella dicta, in verb. Sacramentum.

Alioquin si sine contemptu pratermittatur Sacramentorum sumtio, non est iudicandum de damnatione pratermittentis: cum potestas Dei non sit alligata Sacramentis, & posset ideo si illi placuerit, aliter saluare. c. debitum, 4. de Baptismo. lib. 3. titu. 4. 2. c. final. de Pœnitent. distinct. 7. c. fin. de Presby. non Baptisa.

m ca. nulla prater, de Consecration. distinct. 4.

n ca. nullus, de Consecration. distinct. 4. Est autem necessitatis confirmatio, habita ratione contemptus, non aliter: ut ait Panormit. ad ca. esse dispositionem ad gratiam, de Consuetudi.

o ca. omnis Christianus, de Consecration. distinct. 4.

p can. 1. caus. vicesima sexta quaest. 7.

q ca. non potest, de Pœnitent. distinct. 1.

x Fere per totam, causam vicesimam sextam, quest. 7.

s ca. in aditione, de Pœnitent. distinct. 1.

t ca. Abbatibus, vicesima octaua. quaest. 2.

v can. si quem, de Senten. excommu. ca. Engeltrudam, 3. quaest. 4.

x cap. ubi ista, septuagesima quarta distinct. 1.

y ca. ubi non est, 30. quaestione 2.

z ca. omnes, 14. §. item cum dicitur. 28. quaest. 1. Vide hoc explicatum, in c. quod quidam, 9. 1. 1. q. 1. ca. cum renuntiat, 32. quaest. 1. ca. quamuis, de Consecratione. distinct. 4.

A CAPVT VIII.

Effectus Sacramentorum gratia,
Character.

QVODLIBET sacramentum nouæ legis habet duos effectus. Vltimus, & principalis est gratia: Alius dispositiuus ad gratiam, qui in Baptismo, Confirmatione, & Ordine dicitur Character: in aliis autem quatuor Sacramentis, dicitur Ornatu. a Deo sibi iustificat, & interior effectus Sacramentorum, iustificatio est. b.

SCHOLIA.

a Iisdem verbis Vignierius in Institutionibus Theologia. cap. 16. vers. 10. de Sacramentis in generali. Explicatque versu 6. Vbi, refert sententiam Diui Thomae, quod in omni Sacramento sunt tria, scilicet Sacramentum tantum, res tantum, & res & Sacramentum simul. Atque rem & Sacramentum simul vocari characterem in Sacramentis Baptismi, Confirmationis & Ordinis: & in aliis quatuor Sacramentis Thomistas vocare illam entitatem ornatum, & dicere esse dispositionem ad gratiam. in 4. sententiarum distinct. 22. quest. 2. Videnda, & summa. Astexana, lib. 4. tit. 1. versu. circa quartum. Explicat autem D. Thomas, 3. parte summa, q. 65. artic. 1. quomodo Sacramenta Ecclesia ordinantur ad duo, ad perficiendum hominem in his, quae pertinent ad cultum Dei, secundum regimen Christianae & spiritalis vite; & in remedium contra peccatum. b Vide Diuum Thomam in 3. parte summa, quest. 62. artic. 8. & ad Romanos, capite 8.

CAPVT IX.

Abusus Sacramentorum vitandus.

VI TANDVS est summo opere & praecauendus abusus Sacramentorum, & ne in aliorum vsus, quam ad quem instituta sunt, applicentur. a Ideo firma custodia, clauibus adhibitis, conseruanda, ne temeraria

raria manus ad illa extendi possint, ad tentanda nefanda & horribilia dictu: id eoque pœna imposita ea negligenter custodientibus. *b.*

SCHOLIA.

a Vide Angelum Clauasium, in summa, in verbo, Sacramentum. Numero, 13. Abmunitur impiissime Sacramentis sortilegi, Vide qua dixi, lib. 3. Syntag. iur. cap. 6. & lib. 4. c. 15. Probat, & cap. 2. de Apostat. can. qui vis, 117. & sequ. de Consecration. d. st. in d. 4. Inssu Deus, Exodi, cap. 30. Mosi facere unctiois oleum Sanctum, opere unguentari, quo ungeretur tabernaculum & res eius ad Sanctificationem. Prohibuit autem carnem hominis ungi ex eo, sub pœna mortis. Id ipsum & de thymiamate altaris dictum, ne ad profanos & priuatos usus sub pœna mortis conuerteretur.

b cap. 1. de Custod. Eucharistia, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum, lib. 3. tit. 44. cap. sane, 10. de Celeb. Missar. lib. 1. tit. 41. ca. qui bene non custodierit, de Consecration. distinction. 1.

CAPVT X.

Rationes aliqua Sacramentorum.

i TRIPliciter porro de causa dicunt Theologi instituta fuisse Sacramenta, propter humiliationem, eruditionem, & exercitationem: *a* sed hæc & alia apud illos cognoscenda relinquamus, progrediamur, & ad singula Sacramenta perueniamus.

SCHOLIA.

a Magister sententia. lib. 4. distinction. 1. question. 2. Propter humiliationem, ut dicitur homo insensibilibus rebus, qua ei natura inferiores sunt, se ex præcepto Creatoris cum reuerentia subicit, ut magis ex hac reuerentia placeat; non in illis, sed per ea ab eo querens opem. Erudito eo respicit, ut id quod foris in specie visibili cernitur, ad inuisibilem virtutem agnoscendam mens erudiat. Exercitatio, eo pertinet, ne homo sit otiosus, & vana contemplatione a damone inficiatur.

A D E B A P T I S M O

TIT. VII.

a De Baptismo & eius effectu lib. 3. Decret. Tit. 42. in Cle. lib. 3. tit. 15. in Decreto Gratia. tota distinct. 4. de Consecratione. in Codice Iustiniano, ne sanctum Baptisma reiteretur lib. 1. tit. 6. in nostro Syntag. Iuris, lib. 2. c. 4.

CAPVT I.

B De nomine, & in Glossa: quando aqua sacramentum: & quod lingue tantum tres in Ecclesia, & de profano baptisinate.

BAPTISMUM inter Sacramenta annumeratiam satis superiori titulo dictum est. *a* Quamobrem probatione illa contenti ad reliqua, qua baptismi sunt, prouenio. Baptismus generaliter, idem est, quod ablutio, asperctio, a Græco verbo, *b* βαπτίζω, quod est abluo, immergo, unde βαπτισμός & βαπτισμα, merctio, lotio, ablutio; & βαπτιστήριον lauacrum; & βαπτιστής seu baptista, qui immergit, qui abluit. Commune ita nomen & profanis & sacris ablutioibus & expiationibus: c verum hic de Ecclesiastico, diuino & sacramentali baptisinate, agere instituiamus tantummodo.

SCHOLIA.

D *a* Supra tit. 6. & c. 2. Gloss. ad c. 1. ad ver. Sacramentum, de Consecration. distinct. 4. tradit, aquam in baptismo, esse Sacramentum, & ipsum characterem, similiter 32. question. 2. c. licite, & ipsam etiam ablutioem. Et hæc tria idem significare, scilicet ablutioem interius factam, vel qua fieri debet propter fide accipientem. Aquam autem incipere & desinere esse Sacramentum in prolatione vltima litera illius forme, quia tunc signat: non ante vel post esse Sacramentum, remanere tamen rem sacram, cap. 1. de sacra unctio. Quem admodum dicitur in oleo benedicto vel Chrismate: quia tandiu est Sacramentum, quandiu fit cum eo unctio, non ante